

SALAPUTIUM : MENTULA SALAX

Cat. carm. 53 risi nescioquem modo e corona
 qui, cum mirifice Vatiniana
 meus crimina Calvos explicasset,
 admirans ait haec manusque tollens:
 „Di magni, salaputium disertum!“

Qui docti cum Forcellini — De-Vit *salapūtium* i. q. „mentulam salacem“ valere sibi persuasere et cum Keller, Volkset. 69 ex *salax* et *praepūtium* explicant, improbantur a Walde, Lat. etym. Wörterbuch s. v., a commentatoribus Catulli plerisque, a Buechelero, Kl. Schr. II 473. nam contra explicacionem obscaenam facere videtur Sen. *Contr.* VII 4,7 *Calvus . . . imponi se supra cippum iussit — erat enim parvolus statura, propter quod etiam Catullus in hendecasyllabis vocat illum salaputium disertum — et iuravit* eqs. Ovidius quoque Calvum statura humilem fuisse testatur *Trist.* II 431 *exigui . . . Calvi.* unde Vilh. Kroll, *Cat.* ed.² (1929) p. 95 *salaputium* nil nisi i. q. „Wicht“, „Zwerg“ valere voluit. astipulatur enim Buechelero, qui 1. 1. demonstrare nixus est, adiectivum *pūtus* i. q. „puerulus“ significans in latinitate viguisse. cuius adiectivi syllabam priorem cum longam esse Buecheler sumpsit, vocem *pūtus* in hoc idonam duxit, ut significationem parvoli hominis Catulliano vocabulo *salapūtium* ex testimonio Sen., *contr.* VII 4,7 tribuendam, ratione grammatica et lexicographa defenderet.

At Buecheler ipse deminutivum *putillus* Varro, *Men.* 568 *ad quos cum volucris venit putillos* ex codicibus restituit, ubi a brevi syllaba *putillus* incipere hendecasyllabus ad certum redigit. deinde quod primitivae vocis *putus* testimonium unicum in latinitate est Verg., *Catal.* 7,2 *dispeream nisi me perdidit iste putus*, ubi Buecheler, pro varia interpretatione epigrammatis Vergilianae, dubitat an spondeus *pūtus* ferri debeat, id epigramma interim egregie interpretatus est G. Iachmann, qui pro iambo spondeum tolerari non posse evicit Herm. 57 (1922) 317. sic ratio nulla relinquitur, qua *salapūtium* cum vocibus latinis i. q. „hominem statura parvum“ significantibus coniungatur.

Iam vero ut equidem restituam explicacionem a *salax* et *praepūtium* ductam, doctos omnes fere *salapūtii* vocem tractantes praeteriit, quantum valeat ad locum Senecae, *Contr.*

VII 4,7 recte interpretandum Horatius, homo item ut Calvus parvulus statura, ab Augusto in epistulis saepe inter alios iocos vocabulo *penis* appellatus; cf. Suet., *Vit Hor.* p. 45 ss. R. *praeterea saepe eum inter alios iocos purissimum penem et homuncionem lepidissimum appellat. . . vereri autem mihi videris ne maiores libelli tui sint quam ipse es. . . tibi statura deest.* ex eo igitur, quod Augustus cum allocutione *penis* allocutionem *homuncio* copulat, efficitur, Latinos non quemvis hominem, sed tantum homuncionem statura brevem vulgariter *penem* iocatione amabili vocavisse. ergo cum Senecae rhetori in animo fuerit, Calvus reapse statura parvolum fuisse testimonio ex litteris petito firmare, optimo iure satis habuit Catulli meminisse narrantis, Calvus *salaputium* i. e. *penem* in foro a quodam e corona appellatum esse. nec vero capio, cur tantum risum Catullo Calvus *salaputium* vocatus moturus fuerit, si ista vox nil nisi hominem statura parvum significavisset. immo eo delectabatur Catullus, quod nescioquis e corona alacritatem mirificam oratoris Calvi ad salacitatem *salaputii* aceto Italo imbutus rettulit. quod acumen peculiare epigrammatis Catulliani in luce collocandum esse mihi videtur.

Nec piget me Aquis Mattiacis natum ea in medium proferre, quae mecum collegae Rhenani de Rhenanis festive garrimentibus communicaverunt; qui mentulam praenomine hominis sic cum hilaritate significant, ut adiectivum i. q. *parvus* valens praenomini addant. qui quidem *Gaius* audit, eius mentula allocutione lepidissima *Gai parvole* προσφωνεῖται. sic Horatius, homuncio qui sit, *penis* fit; et Calvus, utpote qui statura humili sit, *salaputium*.

Denique pro obscaena voce *salaputium* habenti mihi id non refragatur, quod in nomen proprium sub Commodo obvium abiit *salaputium*: Inscr. Dessau 6870 cura agente C. Iulio Pelope *Salaputi(o) mag(istro)*. nempe pari ratione etiam a *phallo* Graecorum nomina propria derivantur blandum sensum secum ferentia velut *Φαλλίσιος* alia; cf. Herter, Realenc. XIX 1681.

Lachen muß' ich eben vor Gericht,
 wo mein Calvus mit Vatinius ficht,
 glänzend dessen Schuld zu klären weiß,
 als ich einen aus dem Hörerkreis,
 einen mit verwundertem Gesicht
 seh' die Hände auf zum Himmel heben
 rufend: „Gott, wie kann dies Schwänzchen reden“